

Disce bonas artes¹, moneo, Romana juvenus,
460 non tantum trepidos ut tueare reos ;
quam populus iudexque gravis lectusque senatus,
tam dabit eloquio victa puella manus.
Sed lateant vires, nec sis in fronte² disertus ;
effugiant voces verba molesta tuae.
465 Quis, nisi mentis inops, tenerae declamat amicae ?
Saepe valens odii littera causa fuit.
Sit tibi credibilis sermo consuetaque verba,
blanda tamen, praesens ut videare loqui.
Si non accipiet scriptum, inlectumque remittet,
470 lecturam spera³, propositumque tene.
Tempore difficiles veniunt ad aratra iuvenci,
tempore lenta pati frena docentur equi :
ferreus adsiduo consumitur anulus usu,
interit adsidua vomer aduncus humo.
475 Quid magis est saxo durum, quid mollius unda ?
Dura tamen molli saxa cavantur aqua.
Penelopen⁴ ipsam, persta modo, tempore vinctes :
capta vides sero Pergama⁵, capta tamen.

¹ *Bonas artes* : désigne les techniques qui conviennent à un homme libre, *bonus vir*. Ici, les belles lettres, les humanités

² *In fronte* : de manière ostentatoire

³ *Spera [illam] scriptum lecturam [esse]*

⁴ *Penelopen* : accusatif grec. Pénélope, femme d'Ulysse, modèle de fidélité conjugale.

⁵ *Pergama, orum*, n.pl. Pergame (forteresse de Troie) = Troie. Sous-entendre [esse].